

Viro eruditissimo, Ἰερεισθηλάτω,
 vetustatis indagatori sagacissimo,
 IOANNI HENRICO LEICHI

I. G. Hagenbuchius

S. P. D

ERRASTI, mi LEICHI optime, errasti de mea ad Bouhieriū epistolā verbis, pag. 285. lin. 20. editis: quæ, quia TIBI vehementer displicuerunt, statim in ipso literarum TVARVM, longe mihi iucundissimarum, initio ponere in animum induxisti TVVM. Quod si pateris, non modo autem pateris, sed cogis, ista verba mea TIBI ut ex animi mei sensu interpreter, tanta TE æquitate futurum esse mihi promitto et spondeo, ut nulla Epistolarum Epigraphicarum verba Hagenbuchii LEICHI vehementius placere, neque a TE, quum nos inter nos, absentes ignotique amaremus, laudabiliter præoccupatum esse, TECUM cogitaturus mihi que sorte rescripturus sis.

Ad meum eheu! BOVHERIVM (qui epistolæ istī meæ valetudine impeditus respondere primo distulit, deinde fato accelerante præventus nemini quam mihi flebilior occidit) quum scriberem, Amicum me BOVHERII manere, Leichii fieri cupio, animo lætabar meo, illustrem virum amici nomine a me compellari posse, quem inter et me commercia epistolarum essent: simul percipiebam, TE inter quoque et me ut colloquium per literas felicibus auspiciis inchoaretur. ita enim sperabam fore, ut, in quibus ab invicem dissensimus, inter nos bona cum gratia multa componantur, neque tres ultro citroque epistolas mittamus, quin nobis amicissime inter nos conveniat.

Habes, mi LEICHI doctissime, quos ego doctos soleam amicos vocare: non eos, ex quorum publicis tantum scriptis proficere mihi datur; quod cum omnibus literarum amantibus mihi commune est; sed qui epistolis quoque familiaribus ad me scribendis ante omnia mihi uni prosunt, deinde etiam aliis, oppido tamen paucis iisque dignis, quibuscum, ut par pari referam, amicorum literas communicem; tandem omnibus, si quando publicari commode possint, ut de epistolis Bouhieriānis Gorianisque a me fieri est coeptum. Amicorum enim mearumque literarum eius fere generis sunt, ut in iis varia ad literas antiquas spectantia alter alteri enodanda ponamus,

Viro clarissimo, amantissimo
Joanni Henrico Leichio
I. G. Hagencbuchii
S. P. D.

ponamus, quantumque possumus non sine fructu insigni explicemus. cuiusmodi
et LEICHIANAS fore spe maxima pridem praecepi, et vel primae TVAE ita con-
firmant, ut nihil supra. Macti hoc animo sumus.

LEICHII me amicum fieri cur cupiverim, dixi usque ex penitissimo
pectore: nisi que nostro in Gymnasio ea mihi partes essent, in Senatuque Eccle-
siastico id onus officii per annos XVII. jam sustinerem, ut occupatissimus se-
re semper, nimisque saepe maxima otii penuria miserimus sim, teneri nullo
pacto quivissem, quin ultro scribendis ad TE literis ad jungendas dexteras,
et ineundum amicitiae foedus TE prolectassem, evocassem, adduxissem.

LEICHII, qui cum Musis, id est cum humanitate et cum doctrina an-
tiqua tantum habeat commercium, amicum fieri, id est ad eum literas exa-
rare, et ab eo epistolas omni eruditionis genere refertissimas accipere, Hagen-
buchium non cupivisse? ego vero illud cupivi maxime. quid? quod absoluta
Epistolarum epigraphicarum editione nonnihil temporis ceteris negotiis suffura-
turus, ad TEque scripturus fuisset, nisi hoc officii genere mihi amantissime
antevertisses.

Quare TIBI gratulor, mihi gaudeo, tanto hercle magis, quod, qua igno-
mia, ut sunt amantium animi suspicaces, TE a me notatum suspicabaris,
quasi TE mihi hostem esse unquam animo sinxissem meo, ea TE libera-
tum, id est numquam adfectum esse planissime jam intelligis.

„ Hostes nos unquam esse, Musae omnes prohibessint. In rebus tam antiquis,
„ quas paucissimi suo pretio aestimare norunt, diversa sentire semper licuit et
„ licebit. Opinionum varietate, non animorum contentione, ab invicem saepe dissi-
„ deamus: alter alterius sententias et libere et candide ad examen vocemus: ut
„ quemadmodum ex lapidum conflictu atque tritu ignem emicare conspiciamus, sic ex
„ dimicationibus nostris literatis eliciamus veritatem. Amicum errantem reducere,
„ aut

„ aut errantem ab amico reduci, is vero mutuus amicitiae fructus mihi semper est
 „ visus longe esse uberrimus. „

Quae enim pag. 285. lin. 21—31. nondum tum ad LEICHIVM spectantia, sed tantum ad Boukierium, quem mihi amicum manere magnopere volebam, scripsi, eadem ad LEICHIVM meum, cuius tunc amicus fieri cupiebam, nunc postquam factus sum, eodem jure summopere pertinentia in hac epistola reposui, ut iterum legeres, et perinde haberes, ac si tunc ad Boukierium non scripta essent, et nunc primum ad TE scriberentur.

In tantis antiquitatis tenebris quis est tam lynceus, ut nusquam offendat? Fuit, fuit tempus, nunc non est, non erit, scriptorum ἀναμαρτυρω. Nos et πλάιογεν ποδηά, et πλάιογεν περῶνα. Sine vitio nascitur nemo: sine erroribus nemo scribit.

At, pater ut gnati, sic nos debemus, amici

Si quod sit vitium, non fastidire — —

Hæc res et jungit, junctos et servat amicos.

quumque nostra studiorum similitudo brevi apud utrumque tantum potuit, ut nos inter nos amare, non tantum diligere cœperimus: amicitiae dextram tanta animi benevolentissimi promptitudine a TE porrectam, tam avide tam ~~me~~ fide amplector, ut quaecunque officia a me in TE sint profectura, amoremque TVI a me certo judicio susceptum ætatem sim conservaturus. Utinam is sim, is fiam, qui studiis TVIS inservire, aut bene de TE mereri possim. Fidem meam umquam nulla in re desiderabis; et ^{velim} me eum esse credas, qui cupiam esse ὄβος ὁ βός.

Epistolas Epigraphicas, quibus Supplementum, tum epistolam ad ill. Blaurerum, tum ΤΕΣΣΑΡΑΚΟΣΤΟΛΟΓΙΟΝ TYRICENSE (in quo pag. 490. ante fin. epistolam TVAM exoptatissimam apud me fœderis vim habituram esse, jam sum testatus; et pag. 592. ante fin. de Mur. 1321:10. post Curas TVAS secundas mihi dicendum esse statui) celeberrimus KAPPIVS, quem velim salvere jubeas, nundinis his autumnalibus a nobis accipiet, in manus, quaeso, resume, et quaecunque emendatione et reprehensione digna reperies, libere, ut amicum decet, mone. Meos enim errores mihi indicari, tolli, non minus me juvat, ac evulsa agrum Spiraæ.

Quia quarta jam pagella procedit, omissis aliis, quæ prudentia literarum TVARVM me admonebat, pergo ad marmor metricum, quod ex dissertatione de religione antiquorum Ybiorum mecum communicas. Etsi ex eorum numero non sum, qui antiquitatis monumenta temere viderias arguunt; potius quorundam vindicias ipse in epp. epigraphicis dedi: puerorum tamen duorum, SIDONII et XANTHIAE (quorum nomina non accuratissime scripta sunt, SYDONIUS et XANTIAE, ut interdum vel in saxis maxime genuinis Y pro I jacere, et H aspirationem omitti, non nescio) elegans, ut vocas, epigramma antiquumne credam, an recens, dubius sententiae sum. Equo ne credite Teucris. Non sic noti Iesuita Agrippinenses, ut poësis eorum careat dolis. Dari carmina Διαγόρων μέτρων, post Bouhierium et TE, qui id erudite observaveratis, aliquoties et mihi monendum fuit. v. ep. ad Nob. Blaur. p. (39.) lin. 27. et ad Gov. p. 592. ante med. Sed Iambicos dimetros, et Glyconicos seu Choriambicos trimetros, qui unius syllabæ quantitate discrepantes in scansione toto metro differunt, et invicem immixti non cautissimis facillime imponunt, quis poeta promiscue dedit? verendum erat, ne malus poeta videretur, qui ex quantitatis ignorantia potius, quam docto studio ^{hæc} duo diversorum carminum genera in eodem textu continuo scriberet: Quales sunt versus, quos Colonia Agrippina nobis profert. Versus enim quintus regione secunda pro Iambo Trochæum obtrudit. Nam nobis PVeris Simul Neque versus omnium ultimus melius sese habet, Scitur VS DO mini fuit. Nonne flagitium est, in carmine jambico choreum immisceri? quid ergo pro Iambicis dimetris bis Choriambicos trimetros malus poeta sine exemplo dedit? Est etiam, quod fraudis suspicionem magis mihi adaugeat. Carmen de Xanthia Ταχυγράφου ex Ausonii Ad notarium velocissime excipientem epigrammate CXLVI. seu omnium postremo, eodem carminis genere effictum videtur. At in Iambicis suis Ausonius Trochæum numquam admisit, rationis metricæ haud parum peritior, quam fraudator Colonienfis.

De Dea Haria et Matronis Suleviis, topicis Ybiorum numinibus, integra Saxa libens cognoscerem. Nunc igitur laborem subterfugere noli: vel potius, si tanti putes, et commode possis, ipsum libellum mihi eme. pecuniam TIBI Lipsiæ renumerandam statim curabo. Suleviæ ex topicarum Dearum numero forte sunt eximendæ. Fabr. Insc. p. 690. num. III. SVLEVIS. ET. CAMPESTRIBVS. SACRVM. De SVLEVIS, ut memini, multi multa. Mihi, nescio an et aliis ante me, in mentem pridem venit, Siluis eas seu Sylvis præfuisse olim creditas esse. SVLEVIÆ quasi SVLVIAE, seu Sylviae (ut et alibi pinguior pronuntiatio vocalem exilem otiose inter consonas intrusit) eadem, ni fallor, SILVANABUS apud Spon. Misc. p. 84. init. memoratis.

Commentationem doctissimam de Constantino Porphyrogenito libens legi. Gratias habeo et ago. VALE, amice doctissime, et me ama. TYRICO Helvetiorum. Mense Septembri.